

exercitium hujus virtutis, ab alio pendet quoquomodo; et est solus Deus.

Causa principalis secunda. Illa cuius at virtus qua praedita est ad agendum ab alio est, aut exercitium hujus virtutis ab alio dependet. Sic omnes creaturae sunt causae secundae respectu Dei.

CAUSA FINALIS. Id cuius gratia aliquid fit, seu propter quod aliquid fit. Finis est *ultimus* aut *intermedius*, *principalis* aut *secundarius*, *operis* aut *operantis*, *naturalis* aut *supernaturalis*.

Finis operis ille est ad quem opus ab agente exercitum natura sua ordinatur; ut pauperum sublevatio est finis *operis* quod eleemosyna vocatur.

Finis operantis. Ille quem agens sibi praefigit, siue finis coincidat cum fine *operis* siue non; sicut datus eleemosynam potest sibi proponere vel pauperum levamen, vel vanam gloriam, vel aliquid huiusmodi.

Finis ultimus ille est quem volumus propter se, caetera vero propter ipsum. Sic Deus est finis ultimus quem propter se justus appetit, et ad quem ordinat omnia virtutis ac religionis opera.

Finis intermedius. Ille quem utique volumus at non propter se, sed ut medium conducing ad finem ultimum; sicut justus affligit sensus propter virtutem, quae ulterius ordinatur ad Deum consequendum: virtus igitur est finis intermedius justus.

Causa materialis. Id ex quo aliquid fit: sicut marmor est causa materialis statuae, quia ex *matrimonio* per actionem artificis, fit statua.